

137

PALAESTRA LATINA



Cursus aestivus Salmanticensis

Salmanicae, in celeberrima Hispaniae urbe, a die quinto augusti usque ad vigesimum tertium, duo simul habiti sunt Litterarum congressus, Latinarum scilicet quintus, Hispanicarum vero quartus.

Centum et quindecim convenerunt alumni; quorum pars, Hispani; pars, exteri. Alti e saeculari, alti e regulari Clero.

Sollemni cursus hujus inaugurationi Excumus. ac Rvdms. Dr D. Joseph M.^a LAHIGUERA, Aux. Episcopus Matritensis, praefuit, ac D. Joseph GUILLÉN, aestivali cursus impiger Moderator, qui loculentissimam orationem habuit de Sermone Latino Imperatorum aetate.

En disciplinae pro unaquaque sectione ac magistri:

I. SECTIO LATINA. — Lingua Latina aetate argentea et Hispanici scriptores

1. Dr. Tovar: Linguae praeromanicae in Hispania.

2. D. Astrana Marín: L. Annaeus Seneca humanissimus scriptor.

3. Dr. R. Castresana: De Lucano, epico poeta.

4. P. F. Arredondo, S. J.: Lucanus, praecipua, aetate argentea, Hispaniarum gloria.

5. P. J. Campos, Sch. P.: De Quintiliano praeceptore.

6. Dr. V. Bejarano: De Martiale poeta.

7. Dr. R. Latnez Alcalá: De arte Romana in Hispania.

8. D. J. Guillén, Pber.: De Sermonis Latini virtutibus. — De lectione classicorum.

II. LECTIO GRAECA. — De litteris Graecis paulo ante et post Christum.

1. Dr. R. Adrados: Philologiae antiquae origines.

2. Dr. A. Tovar: De Luciano a Samosata.

3. Dr. R. Adrados: De «atlicismo», quod vocant, in Graecis scriptoribus.

4. P. M. Balagué, Sch. P.: De Graeca lingua, quam *κωινη* vocant.

5. D. D. Ruiz Bueno, Pber.: De Patribus Apostolicis.

6. Dr. R. Latnez Alcalá: De Romanis vestigiis artis Graecae.

7. Dr. A. Tovar: De grammaticis et rhetoribus Graecis Romae degentibus.

III. SECTIO HISPANICA. — De litteris scriptoribusque Hispanicis saeculi XIX et XX.

1. D. A. López Santos, Pber.: De praecipuis lyricae romanticae virtutibus.

2. Dr. E. García Blanco: De dramaticis scriptoribus saec. XIX.

3. P. R. Castellort, Sch. P.: De lyricis scriptoribus saec. XX.

4. Dr. F. Lázaro: De hodierno theatro Hispano.

5. P. D. P. Arrilucea, O. S. A.: De rerum scriptoribus saec. XIX-XX.

6. Dr. J. M.^a Mohedano: De scriptoribus anni XCVIII.

7. Dr. F. Lázaro: De hodierno «neogongorismo».

Alumni, duce ac magistro D. Raphaël Lafnez Alcalá, nobilissima hujus urbis rerum gestarum monumenta singulis feriis quintis adierunt. Praeterea, R. P. Raymundus Castellort, Sch. P., condita a se plena carmina pronuntiavit, ac musicorum coetus, qui inscribitur «Provincialis Caecorum Delegatio», mirum ediderunt concentum. Denique, die vigesimo tertio, D. Aloysius López Santos, postremam hujus curriculi orationem habuit, quae sic inscribitur: «La poesía religiosa actual». Postremo D. Joseph Guillén paucis finem imposuit.

AURELIUS ALZOLA, Pber.

Ad Simonem

*Multiplī causa ex ephebis arguo
te nuper excessum, Simo;*

*Quin comperiri jam vel ex eo licet
quod carminibus alliceris,*

Puerilibus nugis remissis ac jocis.

Quidni loquor pudens?... Amas!

G. RAIMUNDUS, C. M. F.

Carthagine Nova, die 8 m. sept. a. 1952

PALAESTRA LATINA

PRETIUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 25 pesetarum in reliquis civitatibus.
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

ANN. XXIII - N. 137

MM. JANUARIUS - FEBRUARIUS

AN. D. MCMLIII

II. - De librorum periodicorum titulis Latine interpretandis

Quoniam Latinitatis studia per saeculorum duorum vicissitudinem veluti in transcurso unum sub adspexit, jam accedam ad quaestionem, quae huic scriptioni proposita est, specialem, quoniam modo tituli commentariorum periodicorum in Latinum converti possint sermonem: *Revista*, *rivista*, *revue*, *review*, *journal*, *Zeitschrift*, *Tidsskrift*, *Wochenschrift*, *revista semanal*, *Monatsschrift*, *revista mensual*, *boletín*, *bollettino*, *bulletin*, eae sunt appellationes, quibus maxime insigniuntur huius aetatis commentarii stati vernacule scripti. Ex quinquaginta fere septuagintave annis mos est pro «*revista*» *recensionem* dicere. Cujus usus auctor exhibetur, nisi fallor, Esseiva, Helvetius ille linguae Latinae peritissimus. Owenum autem Britannum virum in praefatione ad editionem scriptoris cujusdam classici memini eodem sensu «*ensionem*» adhibuisse e. gr. «*Classical Review*» - *ensio classica*. Alibi «*libellus censorius*» eadem significatione mihi obviam factus est. *Revista*, *review*, *rivista*, *revue* est apud gentes Germanicae prosapiae, si lexicis credis, generaliter «*Zeitschrift*», «*Tidsskrift*». Occurrit vero «*Revue*» etiam apud Germanos ut nomen peregrinum ad commentarios criticos denotandos. Pro *Zeitschrift* viri docti Bergh, Ritschel, Kaibel, ut aliquot saltem afferam, usurpant «*diarium*» e. gr. *Zeitschrift für die Altertumswissenschaft*: «*Diarium antiquitatis studiorum*». Schweighauserus, Argentoratensis philologus, «*Classical Journal*» nuncupat «*Diarium Classicum*», quod in Britannia editur. Hoc loco ilico in difficultates incidimus.

Zeitschrift, nomen compositum ex *Zeit* (tempus i. e. aliquid stato tempore editum) et *Schrift* (scriptura, scriptio), est in genere libellus stato tempore editus. *Journal* autem proprie et secundum originem dicitur folium, quod singulis diebus in vulgus emittitur atque «*ephemeridi*» aut «*diario*» respondet. Pro *journal* hodie Germani uti solent *Zeitung* cum pridem *Zeitung* et *journal* promiscue adhibuerint. Sed *journal* his temporibus apud nostrates mercatorum plerumque sunt «*tabellae accepti et expensi*», raro ea voce «*acta diurna*» hac aetate significantur. Cotidianae rerum ubique gentium gestarum communicationes *Zeitung*, *journal*, *diario*, quatenus sunt folia, quae de rebus civilibus nuntios edunt, Latine appellantur «*diurna*, *acta diurna*, *folium diurnum*».

nale». *Journal* autem creberrime non tantum de «toliis diurnis» dicitur, sed de «publicationibus etiam stato tempore editis». Idem valet de uso ἐφημερίδος apud hujus aetatis Graecos. Sic facile intellegitur, cur philologi amplificatam significationem nominum, quae sunt «diarium» et «ephemeris», in «libellos certo tempore publicatos» transfuderint.

Germani quidem hodie diligenter inter *Zeitung* et *Zeitschrift* distinguunt. In qua tamen re animadvertendum est *Zeitung* vocem fuisse multo antiquiorem et ante CCC annos tum pro nuntiis diurnis cum pro «publicationibus amplioris ambitus periodicis» adhibitum esse. Hujus usus exemplum sit *Allgemeine Literaturzeitung* (Diarium litterarium universale). Vox *Zeitschrift* multo junior ex saeculo demum XVIII est in usu. Quae disputavi de *Zeitung* et *Zeitschrift*, eadem, opinor, de *journal* et *revue* et *revista* dicenda sunt. Ex eis autem, quae explicavi, puto effici nos nulla re posse impediri, ne «diarium» et «ephemeris» aequae ac *journal* et de «diurnis actis» usurpemus et de «libellis certo tempore edi solitis», maxime eis, qui in titulis *journal* et *Zeitschrift* prae se ferunt. Sic fit, ut *American Journal of Philology* Latine nominetur «Americani diarium Philologiae» et Osloensis commentarius *Norsk Tidsskrift for sprogvidenskap* Latinam inscriptionem nanciscatur subsequentem:

«Septentrionalium gentium diarium linguisticae, quod Osloae editur».

At vero saepe numero ephemeridi, ut vices editionum significantur, appositum legi «hebdomadaria» et «menstrua». Quod probare nequeo, cum insit contradictio quaedam. *Revue Hebdomadaire*, *revista semanal*, *rivista settimanale*, *weekly paper*, *Wochenschrift* Latine nuncupanda esse credo «recensionem hebdomadariam» ita ut commentario illi praeclaro *Berliner Philologische Wochenschrift* in Latino baptismo nomen dandum sit: «Berolinensis recensio hebdomadaria philologica». Aequae appellanda sunt *Monatsschrift*, *monthly*, *revista mensual*, *revue mensuelle*, *rivista mensile* Latine «recensio menstrua». *Quarterly*, *Quartalschrift*: «recensio trimestris e. gr. *Tübinger theologische Quartalschrift*: «Tubingensis theologica recensio trimestris». Etiam «trimestria», (n. pl.) bene audiunt. Sic *Classical Quarterly*: «trimestria classica».

Cum igitur romanensium gentium *revue*, *revista*, *rivista* Latine sint «recensio», in Latine veluti rebaptizandae sunt hae commentariorum inscriptiones: *Rivista Classica*, *Bucarest*; *Rivista di Filologia e d'istruzione classica*, *Torino*, *Revue de Philologie, d'Histoire et de littérature anciennes*, *Paris* in hunc modum: «Recensio Classica Bucarestiana», «Recensio Philologiae et Instructionis Classicae Taurinensis», «Recensio Philologiae, historiae litterarumque antiquarum Parisina». *AEVUM* autem, *Rassegna di science filologiche, linguistiche et storiche*, quae ephemeris cura et opera Universitatis Catholicae Mediolani editur, sic in sermonem Latinum me vertere posse opinor: «*AEVUM*, Recognitio scientiarum philologarum, linguistarum historicarumque Mediolanensis». Matriti apparet nunc periodicus commentarius, cui titulus: *ATENAS*. Ejus subinscriptio est *Revista de orientación pedagógica*. Eam me hoc modo Latine inter-

pretari quis vetet: «Athenae. Recensio initiationis paedagogicae Matritensis?»

Apud gentes Europaeas saepesime porro occurrunt *gaceta*, *gazzeta*, *gazette*, *Gazetten*. Qui commentarii nomen acceperunt a Venetorum nummulo, qui *gazetta* vocabatur et quo pretio illa praeconia venibant. *Gazetta* autem quippe quae certa cum gaza cohaereat, Latina facile indui potest veste, cum «gazetum» fingamus perspicuitatis causa. Nam his rebus perspicuitas summa lex esto! Si autem officialibus chartis, quibus leges, edicta, decreta, constitutiones a Gubernio civili evulgantur, nomen *gazette* impositum est, uti apud Britannos et Hispanos, usurpari veto «gazetum», sed in ejus locum jubeo «acta publica», quae apud veteres Romanos eadem vice quodam modo fungebantur, prudenter suffici.

Lebachii.

DR. JOSEF HOLZER

Romanorum institutiones

De Religione Romanorum

Hactenus dixi de origine Urbis Romae, a quibus condita fuerit, quale inditum nomen et quantum Romani Imperii incrementum. Jam instituta illius populi considerata veniunt. Illa vero circa religionem et rem publicam potissime versantur. De religione ergo nobis disputandam suscipiamus (1).

1. **Antiquissima Romanorum religio** qualis fuerit, non minus obscura quaestio est, quam prima eorum civitatis forma. Si historicos probamus Livium et Dionysium, inde a Numa, sive ipsa numina, sive cultum ritusque respicimus, eandem fere quam aliquot post saeculis religionem fuisse existimabimus. Verum tamen, neutri scriptori hic temere credendum, nam Livius non critica, ut ajunt, ratione prima Urbis tempora adumbrasse constat; Dionysius autem nimio ardet studio Romanorum originem a Graecis derivandi. Rem igitur severo judicio aestimanti probabile fit, priscam Romanorum religionem, a Graeca vehementer abhorrentem, sacris quoque ritibus multo, quam posterius reperitur, simpliciore fuisse.

Religionis Romanae vulgo conditor appellatus est Numa. * Postea a Tarquinio Prisco —ut creditur— invecta sunt Graecorum deorum agmina. Indigena autem numina peregrinis paulatim assimilata aut cum iis confusa sunt, simulque novae superstitiones ritusque ab Etruscis maxime accesserunt. Sic Romana Graecorum religionis in dies similior evasit. Sed hujus immutationis —quod recte affirmat Fuss—, ut difficillima explicatio, sic illud manifestum

* Vide G. WISSOWA, *Religion und Kultus der Römer* I W. MULLER, *Handbuch* V, 4) Ed. Munich, Beck, 1912. — A. DE MARCHI, *Il culto privato di Roma antica*, Milan, Hoepli, 1896.

est, novam religionem cum re publica arte conjunctam semper fuisse. Nulla siquidem res magis ad potentiam Romanorum valuit quam publica eorum religio: «quam cum virtutis altricem et firmissimum patriae robur esse vellent, posteriori etiam tempore, quamvis lege vetito peregrinorum numinum cultu, tamen, quoties e re publica videretur, haud aegre introduxerunt» (2).

2. **De Deo ejusque nomine.** — Atque in primis Deum esse omnibus quasi insculptum est. Cicero: *Leg.* 1, 8, 24: «...ipsis in hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non etiam si ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat»; quippe «est juris naturae erga Deum religio». Quamplurima Ciceronis aliorumque scriptorum loca afferre in medio possum, quod tamen spatium mihi concessum minime patitur.

Et esse unum, in tanta deorum dearumve multitudine, plerumque vel ab invitis gentibus confessionem veritas expressit: ejusque nomen, nempe 'Deus' in cotidianis sermonibus eis in buccam veniebat. Tertullianus, *De Testim. Anim.* cap. 2: «Nam te quoque palam, et tota libertate, qua non licet nobis, domi ac foris audimus ita pronuntiare, 'quod Deus dederit', et 'si Deus voluerit'». Et mox: «Etiam quod penes Deum bonitatis et benignitatis omnis benedictio inter nos summum sit disciplinae et conversationis sacramentum, 'Benedicat te Deus' tam facile pronuntias, quam Christiano necesse est». Adde Lactantium 2, 1: «Cum vero ipsorum cultores saepe videamus Deum summum et confiteri et praedicare».


At verum Deum ignorabant, ut ipsi fatebantur, cum, Epimenide Philosopho auctore, in Attica ad depellendam pestis vehementiam ponebatur ara Ἄγνώστῳ θεῷ (*Act. Apost.* 17, 22). Itaque Deum Judaeorum, qui omnino Deus verus erat, vocabant incertum: Lucanus, *Phars.* 2, 593:

Et dedita sacris / Incerti Judaea Dei. (3)

Ceterum, Deus proprie non habet nomen: unde interroganti quondam Moysi de nomine Dei a Deo ipso responsum accepit «Ego sum qui sum» (*Exod.* 3, 14). Ethnici autem, cum deos invocabant, nominibus ipsos appellabant, timentes ne apud eos offenderent, si forte non suo, nec grato illis nomine vocassent, in arbitrio ipsorum ponentes, ut e multis id nomen adsciscerent, quo magis delectarentur, suaeque inscitiae ignoscerent: Catullus, 34, 21:

Si quocumque tibi placet / Sancta nomine.

Et Servius *ad Aen.* 4, 577: «Pontifices sic precabantur: «Jupiter optime, maxime, sive quo alio nomine te appellari volueris». Et cum ambigerent, dicebant «quisquis». Ovidius, *Met.* 1, 32: «Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum». Vergilius, *Aen.* 4, 576:



...Sequimur te sancte deorum / quisquis es.

Sed, uti vides, non de Deo uno, sed de diis et quidem bene multis nobis erit agendum. Quocirca operae pretium duxi aliqua subungere

3. **De origine idololatriae.** — Quonam omnino tempore simulacrorum usus variorumque apud gentiles numinum cultus coeperit, certo definiri nequit. Illud tamen notissimum est, antiquissimos idololatrias eo usque tandem in superstitione sua fuisse progressos, ut non tantum ejusdem ipsorum naturae homines divino honore prosequerentur, sed et plantas, fluvios, montes, immo vero animalia quoque bruta, aves, pisces et id genus alia, in numerum deorum referrent. Quibus vero gradibus per plura saecula haec impietas protracta fuerit, non satis constat.

Inter praecipuas autem idololatriae causas communi omnium consensu haec referatur: quod homines rerum divinarum imperiti, viris quibusdam, qui vel rebus gestis quam maxime inclaruerunt, vel inventis nonnullis ad vitam humanam consentaneis nominis sui celebritatem commoverunt, statuas erexerint, ut eorum memoriam ad posteritatem transmitterent. Romani, tamen, Varrone teste apud Augustinum *de Civ Dei*, V, 31, totos centum et septuaginta annos ab Urbe condita sine ullis idolis fuisse leguntur. Postea vero etiam advecta est vesana religio, et eo crevit, ut Roma et omne illud imperium Romanorum deorum variis simulacris, seque et alios illa impleverit. Graeci vero aequae ac Romani depictis primum tabulis, statuis, anaglyphis deos eorumque fabulosas historias conservarunt, nullum non criminis genus illis affingentes, raptus scilicet, adulteria, furta, homicidia, et alia hujusmodi. Haec vero spectacula, quae in templis atque aedibus essent, carere vix poterant pessimo ad pejus aberrandum exemplo. Imperita plebs et profanum vulgus insignia ista deorum facinora, quia interprete destituebantur, sinistre accipiebant; eorumque gesta ideo minus videbantur turpia, quod a diis ipsis perpetrarentur; quin immo admiratione et stupore digna habebantur. Philosophi vero postea de natura deorum disputantes, ubi hanc summam ineptiam tolerari ultra non posse intellexerunt, ejusmodi explicationibus operam dederunt, quae numina ista, eorumque facinora, ad res naturales referrent (4).

4 **De diis deabusque Romanorum in genere.** — In antiquissimis Romanorum diis, quos non a Graecis mutuati sunt, —sed cum vicinis populis communes habuisse videntur— ponimus Terminum, Consum, Dium Fidium, Quirinum, Janum. Alios etiam proferam, licet minoris momenti mihi leviter tantum attingendos. Postea, Lares et Penates alique titulares dii, de quibus mox sermo redibit.

De numero autem deorum, quos Graeci et Romani potissimum coluerunt, si quaeras, infinitus ille fuit. Quamvis in eo utriusque consenserint, quod duodecim deos praecipuos, quos Ennius hoc ordine recenset:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo,

in honore habuerunt; ingentem tamen deorum minorum numerum admittebant. Communiuntur siquidem veterum paganorum opinio fuit, deos in caelis praecipue sedes suas habere, sed ex sedibus istis caelestibus in terras nonnumquam descendere; ut e. c. Mercurius e caelo a Jove missus in hanc terram modo, modò in ipsum quoque infernum delatus legitur. Deos item singulos loca quaedam praeter alia adamare fingunt poëtae. Sic Juppiter in silvae Dodoneae fago habitare credebatur, Neptunus in mari domicilium habebat; Apollo Delphis et in monte Parnasso, Mars in Thracia, Vulcanus in Lemno insula, aut ardente Siciliae monte Aetna; Minerva Athenis, Diana Ephesi, cet. Immo profanum vulgus ipsis, quas divino cultu prosequabantur, statuís numina ista inesse credebant. Inde factum, ut pro diversitate locorum, in quibus deos suos commorari putabant, trifaria numinum divisio proflueret, sicque *Caelestes* altos, alios *Terrestres*, nonnullos *Inferos* appellitarint.

Romani duodecim majores istos, quos supra ex Ennii carmine nominavi deos *Consentes* vocabant (5). Alio nomine etiam *selecti*, *Caelestes* et *Majorum gentium dii* appellabantur, cum alii contra *Minorum gentium dii*, *Semidei* et *Semones dicantur* (6).

Progrediente vero tempore non colebantur Romae, nisi qui senatusconsulto adsciti essent.

His de Romanorum religione in genere praemissis, quae dicenda remanent, videlicet, attributa, cultumque deorum, sacerdotes eorumque ministros, templa item, instrumenta ritusque sacros in proximis numeris persequar.

LEO M.^a SANSEGUNDO

Monachus Montiserrati

NOTAE:

1. Cfr. PAL. LAT. Fasciculum 129, pag. 88.
2. FUSC, *Antiquitates Romanae*, Leodii, 1826, pag. 306, n. 149.
3. *Dii incerti* apud Romanos dicebantur, vel quorum certa ratio reddi nequibat, vel quorum sacra et templa Romanorum opinio nondum admiserat: vel quorum nomina, quia scilicet ea vulgare nefas erat, non audiverant; vel denique quia de eorum divinitate non satis constabat, ut est apud Augustinum *De Civ. Dei*, 3, 12. Ovidius autem in *Met.* 1, 194: Quos quoniam caeli nondum dignamur honore, Quas dedimus, certe terras habitare sinamus. Ignoti autem non erant iidem cum incertis; nam de incertorum divinitate ambigebatur quidem, sed tamen eorum nomina non ignorabantur, sicut ignotorum.
4. De idololatria ejusque causis conferas MONTFAUCON, *Antiquitates Graecae et Romanae*,

pag. 2-3. Vide etiam Lexicon ESPASA CALPE s. v. ubi bibliographiam bene multam inventes.


5. *Consens* quandam habet cognationem cum *Absens* et *praesens*, quamquam sunt qui hoc nomen a «consentio» ducere videantur.

6. *Semones* a v. 'semen', quasi seminum dii praesides (Forcell. sub v. «semo». Animadvertas quoque epitheta quaedam, quae deorum nominibus a priscis addi nonnumquam solent. Sic *Averruncos* illos interdum cognominari notum est, quod mala averruncent, prohibeant sive tollant. Item *Indigetes*, quod vel ipsi nullius auxilio indigeant, vel nos ope ipsorum indigeamus. *Geniales* a v. 'genium'. Genium enim dicebant antiqui naturalem deum uniuscujusque loci vel hominis (*Serv. ad Verg. Aen.* 1, 302).

Poëtae vero atque mythologi innumera diis epitheta tribuunt, quae vel ab ipsorum gestis et operibus, vel aliis causis desumuntur.

Nova et Vetera

Phonographium



Quaedam mihi animo recolere arridet de machina illa, impressas referente voces, quae adeo est in usu hodiernarum gentium, cum in litteris scientiisque diligenter incumbendo, tum in honestum otium corpori, musicarum poetiarumque rerum auditione, in primis dando. Est nempe ea machinatio vocibus iterandis, quae recenti *grammophonii* nomine venire consuevit.

Hujus modi apparatus est voces iterare. De vocis autem natura haec apud Vitruvium, in libro de Architectura (V, 3, 6), legimus: «Vox autem est spiritus fluens aëris, e tactu sensibilis auditu. Ea movetur circuloꝝ rotundationibus infinitis, uti si in stantem aquam lapide immisso nascentur innumerabiles undarum circuli crescentes a centro, quam latissime possint, et vagantes, nisi angustia loci interpellaverit aut aliqua offensio, quae non patitur designationes earum undarum ad exitus pervenire. Itaque cum interpellentur offensionibus, primae redundantes insequentium disturbant designationes. Eadem ratione vox item ad circumum efficit motiones; sed in aqua circuli planitiae in latitudine moventur, vox et in latitudine progreditur et altitudinem gradatim scandit».

Hujus modi apparatus, inquam, est voces iterare: itaque grammophonium quasi vocum est instrumentum repetendarum. In omnibus fere notioribus linguis Europaeis hanc vocem, plus minus ex ipsarum indole immutatam, adhiberi invenies. In Gallica et Anglica *gramophone*; in Germanica *grammophon*; in Hispanica *gramófono*; in Catalaunica *gramòfon*; in Italica *grammofono*; in Portugallensi denique *gramphono* dicitur.

De eo enim utili scientiae hodiernae apparatu sic se habet, laureato in carmine «Inventa et Mores», clarus scriptor A. Giovanni:

«Machina parva sonos, dictu mirabile monstrum,
Auscultat cupide, caecaque ambage recondit.
Lamina versa manu sonitum dein reddit, et apte
Incisos repetit sermone voce fide!».

1. Sed hic de *phonographio* non nulla, quī quidem apparatus tanquam est «praecentor» *grammophonii*, praemittenda. Nunc vero, de hujus phonographii verbi structura haec breviter tene: altera ejus pars est Graeca vox φωνή Latino vocabulo *soni* respondens; altera est vox Graeca Latina *graphium*. Quae saepius invenitur apud Ovidium, Senecam aliosque antiquitatis probatissimos scriptores.

Graphium, ait Forcellinius, est stilus ferreus, quo veteres in ceratis tabulis solebant scribere. Itaque significat cuspidem ferreum ad scribendum in tabulis cereis aptum, estque idem atque vox, apud Romanos usitatior, *stilus*. De eo autem Ovidius: «Quid digitos opus est graphio lassare tenendo?» (1 Amor 11, 23). Apud Isidorum (6, Orig. 9) haec leges: «Graeci et Tusci primum ferro in ceris scripserunt, postea Romani jusserunt, ne graphium ferreum quis haberet. Unde et apud scribas dicebatur: ceram ferro ne caedito. Postea institutum ut ceram ossibus scriberent, sicut indicat Atta in Satyra dicens: Vertamus vomerem in ceram, mucroneque aremus osseo».

Quod *graphium*, etsi modo mechanico actum, etiam nostra in phonographii machinatione potissimum adhibetur: hinc neminis ratio. Hinc acus vel cuspis ad hunc apparatus dicitur *graphium*, vel si mavis, *stilulus*: apud Hispanos «estilete» nuncupatur. Linguarum vero Europaearum eadem paene vocis ratio est in usu. In Gallica *phonographe*; in Anglica et Germanica *phonograph*; in Hispanica *fonógrafo*; in Catalaunica *fonògraf*; in Portugallensi *phonographo*; in Italica denique *fonografo* usurpatur.

Thomas Edison, doctissimus scientiarum physicarum homo, fortunatus fuit semperque nobis laudandus phonographii inventor, quamquam id apparatus genus in dies ad perfectionem exquisitiorem, aliorum arte technica peritorum, adductum pedetentim est. Enim vero, in finem vergente jam saeculo superiore, clarus vir Mediolanensis, in Ohio, excogitavit phonographium; aliis verbis, instrumentum ad «vibrationes» vocis humanae vel cujuslibet soni inscribendas super idoneum cylindrum cereum.

Itaque est illud certa hodiernae scientiae machinatio, quae sonorum vibrationes, vel motus vibratiles corporis atque in primis particulae per «periodum», inscribit in cylindro vel disco, quem rite (phonographicum) discum vocabis. Quod quidem evenit per quasdam incisiones in disco factas, ope acus (*stiluli* vel *graphii*) laminae vibranti connectatae. Tum vero apparatus, cum discus convertitur eo modo ut acus super incisiones labatur, in vibrationem agit laminam atque sonos iterum iterumque refert.

2. Aspicere nunc faveas *phonographium* tibi in primo tabulae numero pictum. Anno demum 1877 vertente, ab inclito Edison inventum est. Atque est hoc, ut ita dicam, praeposterum instrumentum illius quod in altero picturae numero vides, quodque *grammophonium* apud omnes scriptores nominatur.

Alterum quidem sonos iterandos in disco (phonographico) inscribit; alterum vero reddit iterum iterumque amplificatas voces. Ex quo certe ratio etymii nominis; nam vox Graeca γράμμα idem est atque littera: quasi si diceres «apparatum sonorum litterarum». Hoc nomen *grammophonium* confictum atque primo adhibiturum est ab ejusdem inventore, Aemilio Berliner.

Atque meritum sane hujus periti Germanici est inventio talis apparatus primo certe parilis, sed modo inverso dispositi. Nam hujus modi instrumenti est sonorum vibrationes, in disco (phonographico) insculptas, auditui nostro admoveere. Ideo maximo est in usu ad studium in primis et disciplinam linguarum exterarum. Quod si litterator ipse es, miri hujus apparatus ope, et tuas dedere aures poetis vales.

Grammophonia alia sunt mechanica, alia electrica seu vi electricis acta. Vox autem *electricis, idis*, necessaria omnino, cum de re nova agatur aliquo modo significanda, apud Plinium habetur. Significat tamen apud eum vel petrae genus, a quo fluxisse electricum dicebatur; vel insulas Electricides, in quibus electricum vel succinum abundasse traditur.

Electricum enim vel succinum (apud nostrates *ámbar*), magnetis instar lapidis, arcanam vim exserere jam antiqui noverant trahendi et alliciendi ad se alia corpora, ut in superiore de «Magnetismo» elucubratione obiter perstrinxi.

Eis nos omnibus grammophonii generibus non modo animi causa, verum ad comparandam etiam notionem multis ex acroamatibus large profluentem utimur. Quo autem soni ab auditore facilius percipiantur, grammophonia aptari solent bucinis, resonatoriis, altisonis aliisque id genus instrumentis ad voces sonitusque amplificandos.

Nunc vero, qui de grammophonio ipsemet collocationem commodius necesse possis, en tibi breve vocabularium, cui quidem facilis explicatio hujus instrumenti consequitur:

1	Bocina, <i>bucina</i>	7	Freno, <i>frenum</i>
2	Brazo, <i>bracchium</i>	8	Regulador, <i>moderatorium</i>
3	Diafragma, <i>diaphragma</i>	9	Manivela, <i>manubrium</i>
4	Bracito (móvil), <i>bracchiolum (mobile)</i>	10	Estilete, <i>stilulus, graphium</i>
5	Surco, <i>sulcus</i>	11	Plataforma, <i>catinus</i>
6	Disco, <i>discus (phonographicus)</i>		

Alter; igitur, picturae numerus ob oculos tibi ponit grammophonium mechanicum omnium fere communissimum, cujus vulgaris tractatio sic contrahi potest. Ope parvi manubrii (9) non nullae rotationes agitantur, interno quodam instar horologii machinamento intendendo. Hoc vero machinamentum uniformem eumque rotatim motum imprimit catino (11), cui discus (6) artissimis sulcis (5) inscriptus apposite superimponitur.

Duobus tunc brachiis (2, 4), verticalium quidem vices gerentibus, stilulus (10) sedulo sulcis, ab actore accommodatur, qui subtilem in vibrando membranam agitatur, diaphragmate (3) vero obductam. Haec denique membrana, aëra circum

movens, ad nostras usque aures sonos mirabili omnino modo transmittit. Cursui vero disci, auditoris arbitrio ordinando, moderatorium (8); eidem autem inhibendo frenum (7) inservire memento.

3. Atque oculos tabulae pictae denuo adiciamus. In tertio numero gestabile grammophonium habes, quod *grammōlam* fortasse nos inter appellare possemus. Apud Hispanos *gramola* est quaedam grammophonii species, parvae certe molis ac sine interventu bucinæ acusticae. Ejusdem thecae pars vices gerit capsae acusticae; nempe est apparatus vocis propagator,

Apud nos dicitur quoque *gramola* illud grammophonium electricum in supellectile clausa rite dispositum in armarii modum, quod totam occultit machinationis structuram atque vices etiam capsae acusticae vel resonatorii gerit. De eo tamen instrumento inferius, proprio in loco, carptim meo more disserendum.

Est quoque in commercio rerum scientificarum vel technicarum, aliud grammophonii vel phonographii genus, quod venire solet nomine *graphophonii*: est veluti complexio amborum, de quibus agimus, instrumentorum. Est apparatus maxime in melius adductus, cujus quidem est et inscribere et una iterare sonos, verba, musicam, strepitus. Aliarumque ad rem pertinentium vocum, nomina dumtaxat hic tibi, appendicis gratia, referam:

Altavoz, <i>altisonum, megalophonium</i>	Radiograma, <i>radiogramma</i>
Audífono, <i>vocis amplificador, audiphonium</i>	Radiola, <i>radiolum</i>
Audiómetro, <i>audiometrum</i>	Radiotelefonía, <i>radiotelephonia</i>
Audión, <i>amplificatoria</i>	Radiotelegrafía, <i>radiotelegraphia</i>
Auricular, <i>auriculare</i>	Receptor, <i>receptorium</i>
Deteçtor, <i>deteçtorium</i>	Resonador, <i>vocis propagator, resonatorium</i>
Diapasón, <i>diapason</i>	Sirena, <i>siren</i>
Estetoscopio, <i>stetoscopium</i>	Sonómetro. <i>monochordum</i>
Fonograma, <i>phonogramma</i>	Telefonema, <i>telephonema</i>
Fotófono, <i>photophonium</i>	Teléfono, <i>telephonium</i>
Micrófono, <i>microphonium</i>	Timbre, <i>tintinnum</i>
Pito, <i>sibilus</i>	Transmisor, <i>transmissorium</i>
Radio, <i>radium</i>	Trompetilla, <i>auricularia</i>
Radiofonía, <i>radiophonia</i>	
Radiófono, <i>radiophonium</i>	

4. Denique in numero tabulae pictae quarto videre est illum instrumentum hodie usitatum praecipue iis locis, ubi gentes animi conversationisque gratia convenire solent: fere est ultimus progressus in arte phonographica. Duplex apparatus in unum redactus: hinc grammophonium, hinc radium. Duo resonabilia instrumenta unam in supellectilem conjuncta. Quod totum voce *radiogrammola*, ut saepius apud Hispanos, nuncuparemus. Non numquam apud eos dicitur tantum *gramola*.

Grammophonium in apparatu est electricum unaque cum radio agitatur. In supera apparatus parte est resonatorium grammophonii; in infera quaedam capsae, ubi disci phonographici reponuntur: alio verbo, *discotheca*. Itaque quidquid homo natura vel arte sonat facile in his instrumentis inscribi potest denuo quacumque de causa referendum.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

Cursus Gymnasticus

EL LAZARILLO DE TORMES

Usaba ¹⁾ poner ²⁾ cabe sí ³⁾ un jarrillo ⁴⁾ de vino, cuando comíamos e yo muy presto ⁵⁾ le asía ⁶⁾ y daba un par de besos ⁷⁾ callados ⁸⁾ y tornábale a su lugar. ⁹⁾ Mas turóme (=duróme) poco. ¹⁰⁾ Que ¹¹⁾ en los tragos ¹²⁾ conocía ¹³⁾ la falta ¹⁴⁾ y por conservar su vino a salvo, ¹⁵⁾ nunca después desamparaba el jarro, antes lo tenía por el asa asido. ¹⁶⁾ Mas no había piedra imán, ¹⁷⁾ que así trajese a sí, ¹⁸⁾ como yo con una paja ¹⁹⁾ larga ²⁰⁾ de centeno, que para aquel menester tenía hecha, ²¹⁾ la cual, metiéndola ²²⁾ en la boca del jarro, ²³⁾ chupando el vino lo dejaba a buenas noches. ²⁴⁾ Mas, como fuese el traidor ²⁵⁾ tan astuto, ²⁶⁾ pienso que me sintió ²⁷⁾ y dende en adelante ²⁸⁾ mudó propósito ²⁹⁾ y asentaba ³⁰⁾ su jarro entre las piernas y atapábale ³¹⁾ con la mano y así bebía seguro.

(La vida del Lazarillo de Tormes, Espasa Calpe, pág. 84)

INTERPRETATIO LATINA

Vini poculum juxta se apponere, dum edebamus, consueverat; quod ego raptim arripiebam eique quasi tacita ingerebam oscula atque suo loco reponebam. Haec tamen produci non poterant, nam bibendo vini deminutionem percipiebat et, ut suum servaret vinum sanum ac salvum, numquam deinde poculum dimittebat, sed illud compressum ansa tenebat. At vero nullus erat lapis magnes qui ad se ferrum attraheret ut ego vinum per longulam secalis stipulam huic rei aptatam, quam in poculi os immittebam vinumque sugebam, et hominem adunco – ut ajunt – naso suspendebam. Sed illum furciferum, qua erat calliditate, in me animum advertisse arbitror, ac, mutato consilio, in posterum inter genua poculum comprimebat ac contegebat manu sicque securus bibebat.

COMMENTARIUM

1) **Usaba**: cfr. locutiones: *ex consuetudine, consuetudine, pro consuetudine* (collocabat); *ejus consuetudinis erat; consueverat, consuemat*; nam in his praeteriti formae pro praesentibus, ut in verbis *novi, memini*, adhibentur (cfr. FORCELLINI, s. v.)

2) **poner**: *collocare, apponere*.

3) **cabe sí**: *juxta se*: «Eam filiam appellans juxta se locat» (QUINTIL. 8, 4, 22).

4) **jarrillo**: valde indefinita videtur vox Hispanica; qua moti ratione, et *poculum* latine – vas quo bibimus – usurpare possumus; fortasse et *urceolum, (capidem)*.

5) **muy presto**: *celeriter, raptim*: «Haec scripsi raptim» (Cic. *Att.* 2, 91): «Raptim cibum capere» (Liv. 31, 42, 4).

6) **asia**: *arripere* (=ad se trahere); cfr. lo-

cutiones in lexico FORCELLINI: «ensem, gladium, scutum, pileum, penicillum arripere».

7) **daba un par de besos**: hanc poetice loquendi rationem, qua bibendi actio significatur, –quamvis apud Romanos haud facile inventamus– persequi tamen possumus, et similia ex scriptoribus aptare verba: «jungere, porrigere, admovere, ferre, dare, figere,ingere, (delibare), oscula»: «Amplexaeque tenent postes, atque oscula figunt» (VIRG. *Aen.* 2, 490); «Cum osculum sibi ingerentem... devitare non posset» (SUET. *De Illustr. Gram.* 23).

8) **callados**: *tacita* (cfr. «pressa, blanda oscula»); quod epitheton facile in adverbium commutari poterit, aut, adjecta particula *velut, quasi*, metaphora induci *cuasi tacita ingerebam oscula*).

9) **tornábale:** *reponere suo locò;* verba *collocandi* fere secum ferunt *praepositionem in* et *ablativum:* «Vas in mensa ponere; aves consistunt in arbore» (cfr. LLOBERA, *Grammat. cl. Lat.* 298, 6). Saepius tamen cum voce *loco* praeciditur praepositio *in;* cfr. «Et cum recepisset ut quidque suo loco reponeret» (COLUM. R. R. 12, 3 4) «Uvae. sicco loco reponito» (COLUM. R. R. 12, 16, 2).

10) **duróme poco:** *haec producti, permanere non poterant;* cfr. «Dolores propinquitate producti» (= *que duran, que se prolongan*) (Cic. *Tusc.* 5, 40, 117); «Mortui cera circumliti, ut quam maxime permaneant diuturna corpora» (Cic. *Tusc.* 1, 45, 108). Ceterum, verbum *durare* hoc sensu apud scriptores aureae aetatis non invenitur. Cfr. KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus*, s. v. *durare*.

11) **que:** orationem prosequere adhibita particula *nam* vel *enim*.

12) **en los tragos:** *bibendo;* habet enim gerundivum in *-ndo* finitum quandam substantivi speciem ut plurimis scriptorum locis demonstrari potest: «Oculi spectando (= *spectatione*) dolent» (PLAUT. *Men.* 882); «Homini mens discendo altur et cogitando (= *disciplina et cogitatione*)» (Cic. *Off.* 1, 105; cfr. *Le gerundif en -ndo et le participe présent latin*, *Rev. des Études lat.* 1932, p. 222).

13) **conocía:** *percipere (conocer, darse cuenta de);* «Placide egredere..., ne quod hic agimus erus percipiat fieri» (PLAUT. *Curc.* 1, 3, 1).

14) **falta:** *deminutio,* quae «est actus deminuenti. quo scilicet rem aliquam detrahendo, minorem facimus» (FORCELLINI), *defectus*.

15) **a salvo:** *salvus, sanus ac salvus;* cfr. «Ut salva essent (cibaria), praecepimus» (COLUM. R. R. 12, 3); «Minae viginti sanae ac salvae sunt tibi» (PLAUT. *Pseud.* 4, 6, 6; PLAUT. *Asin.* 2, 4, 56; Cic. *Fam.* 12, 23, 3).

16) **tenía asido:** adhibere potes vel duo verba ut saepe numero fit ad vim intensiorem commonstrandam (*com; rimebat tenebatque*), vel verbum cum participio adjuncto (*compressum tenebat*) (cfr. GANDINO, *Lo stile latino*, I, 2 25; II, 2, 8; CUPAIUOLO, *La versione lat.*, 2.^a ed., p. 242).

17) **piedra imán:** *lapis magnes,* «ea enim vox est adjectiva —ut ait Forcellinius — et cum absolute ponitur, *lapis* subintelligitur».

18) **trajese a sí:** ctr. «Ut, si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se alliciat et attrahat» (Cic. *Divinat.* 1, 39, 86).

19) **paja:** *palea, stipula.*

20) **larga:** *longus, longulus, (oblongus).*

21) **para aquel menester tenía hecha:** *huic rei (ad id) aptatam;* «Hoc verbum (*rape*) est ad id aptatum, quod ante dixerat, non licet» (Cic. *Orat.* 3, 40, 162).

22) **metiéndola - chupando:** participia in tempus imperfectum converte: *immittebam - sugebam.*

23) **boca del jarro:** *os poculi;* cfr. «os specus, sacculi, ulceris, fluminis, portus» (FORCELLINI, s. v. *os*).

24) **lo dejaba a buenas noches:** haec vulgaris locutio —ut ex *Dictionario Academiae Hispanicae* efficitur— duplicem sensum habet (*obscurum reddere, decipere*), alter sensus huic loco aptior videtur. Et nota plurimas esse locutiones metaphoricarum et adagia quae alia ratione a Romanis, quam a nobis, exprimebantur. Translationes tamen, si fieri potest, quantum alio proponantur modo, retinendae sunt. Hanc igitur locutionem, quae «aliquem decipere, illudere» significat, commutare poteris cum illa «aliquem suspendere naso (adunco)», quae —juxta Paulum Manutium (*Adagia*, Florentiae, 1575, p. 337) «est vafre ac subdole irridere»; cfr. ibidem alia et in lexicis FORCELLINI, FREUND, cet.

25) **traidor:** *furcifer (= bñbón, malvado);* «Furcifer, quo progreditur?» (Cic. *Deiot.* 9, 26); «Ego pol te . . . furcifer, accipiam» (PLAUT. *Amph.* 1, 1, 127).

26) **fuese tan astuto:** *ut erat callidus, qua erat calliditate,* cfr. «Qua es prudentia, nihil te fugiet» (Cic. *Fam.* 12, 29, 2). Cfr. MENGE, *Repetitorium*, 260, *Anm.* 2.

27) **que me sintió:** *animum in me advertisse.* «Acrius advortere animos ad religionem» (LUCRET. 3, 54).

28) **dende en adelante:** *in posterum.*

29) **mudó propósito:** in translatione Hispanica vel praeteritum usurpabis vel participium absolutum efficies (*mutato consilio*).

30) **asentaba:** *comprimere, compressum tenere.*

31) **atapábale:** *contegere;* «Tantum effata. caput glauco contextit amictu» (VIRG. *Aen.* 12, 885).

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Nomenclatura vestiaria ⁽¹⁾

Textilia, panni descriptiones

con puntos	Gepunkt	<i>punctatus</i>
con puntillos	Getupft	<i>punctillis conspersus</i>
» » de colores	Gesprenkelt	<i>maculis variatus</i>
imitación de mármol	Mormoriert	<i>marmorii maculoso similis</i>
en forma de manchas	Gefleckt	<i>maculatus</i>
con manchillas de colores	Gespritz	<i>maculis conspersus</i>
batico	Gebatikt	<i>oleatis coloribus variegatus</i>
con puntillos imitación de pimienta y tartán	Pfeffer und Salz	<i>piperis salisque colorem imitans</i>
	Schottisch	<i>scoticus</i>
con cuadros	Kariert	<i>laculatus</i>
con cuadros grandes	Grosskariert	<i>majoribus quadratis infectus</i>
36 nankín	Nanking	<i>tela nanchinensis</i>
37 panamá	Natté	» <i>mattosa</i>
38 muselina	Nessel	<i>textile urticarium</i>
39 paño o tela con motas	Noppenstoff	<i>tela nodulata</i>
40 organdí	Organdy	<i>ventus textilis</i>
41 panamá	Panama	<i>tela Panamensis</i>
42 percal	Perkal	<i>pergala, ac [a persico pergale]</i>
43 popelina	Popeline	<i>papalinum [nomen inde factum, quod Papae vestes ex ejusmodi panno contradiolum [factas gesisse dicuntur] bombycina arte facta, n. pl.]</i>
44 rayón	Rayon	<i>pannus villosus samitum, mlt., berasum [xamitum, mgr.]</i>
45 terciopelo	Rayonstoffe	<i>sericulum, bombycinum</i>
46 satén	Samt	<i>bembergianum</i>
47 seda	Satin	<i>sericum genuinum</i>
» fina	Seide	<i>fustaneum sericum</i>
» genuina	Bembergs S.	<i>s. staminatum</i>
funda de seda	echte S.	<i>s. facticum</i>
seda artificial	Seideninlett	<i>erispum sericum</i>
reps de seda	Kettseide	<i>s. crudum, rude</i>
seda basta	Kunstseide	<i>rasum sericum</i>
satén de seda	Seidenrips	<i>pannus pseudosericus</i>
seda falsa	Rohseide	<i>s. tullense (Tulle, urbs Galliae, lat. Tullum, Tullensis), ralla serica</i>
tul de seda	Seidensatin	<i>s. lavabile</i>
seda lavable	Trippseide	<i>serga</i>
48. sarga	Seidentüll	<i>tafta, taffeta, ac</i>
49 tafetán	Waschseide	<i>tricholinum</i>
50 tricot de seda	Serge	<i>texta tricotentia [ex Galliae septentrionalis vico Tricot], texta e macralla tullensis, textura tul. [lis</i>
51 tejido de punto o de malla	Taft	» <i>bembergensis</i>
52 tul	Trikoline	<i>opus denticulatum, spiculatum, reticulatum, denticuli, fimbria denticulata</i>
» fino	Trikotage	
53 encaje, punta, blonda	Tüll	
	Bembergtüll	
	Spitze	

(1) Cfr. n. 136, p. 231.

	Klöppelspitze	<i>denticuli tudiculis texti</i>
	Nadelspitze	» <i>acubus texti</i>
	Valenciennesspitze	» <i>Valentinianenses</i>
54 Terciopelo	Velours	<i>vellutum, villutum, pannus villosus</i>
55	Velvet	» <i>xylinum</i>
56 velo	Voile	<i>velum</i>
57 lana	Wolle	<i>lana</i>
muselina de lana	Wollmusseline	» <i>mossulina</i>
	Wolcloqué	» <i>spinata</i>
	Wollgeorgette	» <i>georgulana</i>
	Wollnatté	» <i>mattosa</i>
	Wollpopeline	» <i>papalina</i>

Lebachii

DR. JOSEPH HOLZER, *Rektor*

Commercium epistulare

Andreas Avenarius S. V. D. colendissimo Patri Joseph Mir C. M. F. s. d.

Si mirere, ecquid agatur, cur tam diu silentio se involvat Avenula, id ego mirer minime. Fornarius certe dudum in suis liberis a pittaciis responsis huic taciturnitati respondisset. Scito ergo non morbo me hoc anno impeditum nihil dedisse ad te litterarum earumve lucubrationum, quibus conseri paginae PALAESTRAE solent, sed meo ex urbe Roma in Germaniam reditu ante hunc diem nullum invenisse otium...

Horum mensium quinque duos degi partim in Westfalia, partim in Bavaria sacri ministerii causa. Et libri quidem ex Urbe allati facile in suis depositi sunt loculamentis, longiturnior est ordinatio mercis reliquae. Decenter ad meam dextram stant quatuor tomi PALAESTRAE LATINAE; nam quod Romae ab illo bibliopego propter multitudinem negotiorum obtineri non potuit, ut duos posteriores PALAESTRAE tomos ligaret, ab hac officina impetratum est. Sic post tenuius CANDIDATI volumen quatuor effecti tomi sunt eundemque pluteum premunt, quem novem ejusdem altitudinis ALMAE ROMAE tomi.

Perscrutans epistularum congeriem repperi etiam quasdam Jovaei nostri epistulas, quas ego, si cujus interesse cognovero habere documenta vitae martyris, istuc dare non gravabor.

Ubi omnia mea perquisivero et pabulum Vulcano suum separavero, ad ea scribenda me accingam, quibus bimestrem PALAESTRAM mihi soli fere vindicare videbor.

Nunc commemoraturus eram inexpectatam mortem optimi viri, Joseph Fornarii, quam ante hos decem annos mense septembri flevimus, quocum, pro dolor!, simul et ALMA ROMA conticuit. Sed dicam fortasse alias qualem ipse Romae viderim Fornarium.

Unum te hodie, ne longior serpat oratio, percontabor. Nuper in fasciculo Actorum Apostolicae Sedis nova martyrologii ellogia inveni, quae mihi postea etiam ex officina Vaticana comparata sunt, *ellogia* inquam, quae antehac

eloquia fuerunt atque in vetustis et in recentibus vocabulariis etiamnunc elogia sunt, ubi nusquam ellogium invenias, nisi forte Forcellinii nova editio habeat. Georges, lexicographus Germanorum celeberrimus, postquam elogii varios sensus proposuit, ad extremum narrat Curtium, doctissimum grammaticum, elogium derivare ex verbo graeco quod sit ἐλογεῖον, cui sententiae suffragantur qui novam editionem Heinicheni lexici curaverunt: elogium esse ἐλογεῖον, etymologia vulgi conjunctum τῷ λόγῳ. Sed illi novorum ellogiorum compositores non temere bina lambda posuisse censendi sunt, neque hunc typhothetarum errorem esse conclamandum.

Itaque, ut facere assuevi, ad Graecos fontes cucurri. Hic lego ἐλ-λογέω, ἐν-λογέω certe, id est in computum recipere, ἐλλόγημος, quod in computum venit, quod in rationem, εἰς τὸν λόγον refertur. Ellogium reperio nullum. Agendum vel ipse dic qua ratione antiqua elogia hoc scientiarum progressu ellogia facta sint, vel amicorum aliquem jube hunc locum docere. Ceterum in illis ellogiis est nomen etiam S. Antonii, Fundatoris et Patris vestri, quod cum gaudio et cum quadam etiam invidia legi.

Spero apud te et apud fratres esse ut volumus. Et si tibi posthac contigerit feriarum tempore venire Francofordium, haud ita longo spatio ab urbe Bonna aberis, ut non etiam huc festinare debeas. Vale. V. kal. nov.

*Josephus M. Mir, C. M. F., Rdo. P. Andreae Avenario, S. V. D.,
egregio Latinitatis duce ac magistro sal. pl.*

Advenerunt nobis gratissimae tuae litterae nuntiantes quae essent tuae circa te res ac negotia, nosque ad sedem tuam invisendam benevolo animo invitantes. Germanicam —vere et germanam— vestram hospitalitatem cognitam expertamque habemus, de qua et fratribus nostris tibi que grates habemus maximas.

Ceterum, haud facile credideris nos tui oblitos esse; nam tui recordatio in sermonem nostrum saepe incidit pergrata; nunc tamen secretum taciturnitatis tuae curiosius —ut alias fecimus— extricare noluimus.

Quod autem cl. virum Fornarium facturum fuisse mones, nos quoque ad epistolia nostra soluta in PALAESTRA restituenda —quibus cum amicis facilius colloquamur— concitat.

De *ellogiis* illis, quae recenter legisti, nostri in primis Patris ac Fundatoris, tecum pariter gaudemus. De ratione vero vocem scribendi haud facile a probatissimis etymologiarum auctoribus ac magistris recedendum; sed ego cum clm̄s. viris SOMMER, ERNOUT-MEILLET, WALDE-OFMANN, PAULY-WISSOWA, DAREMBERG-SAGLIO, ceterisque *elogium*, non vero *ellogium* scribendum censeo. Rem tamen alio die in PALAESTRA eorum testimonio proposito, monstrare curabo.

Quam plagularum sarcinam polliceris —dum scribis ac mittis— a nostro cursore postali exspectabo.

Te nobis commoda et integra valetudine fruentem et confirmatum Deus servet, teque natali die tuo omnibus et humanis et divinis donis amplissime cumulet. — Barbastro, VI kal. decembres, anno 1952.

Bibliographia

CERTAMEN CAPITOLINUM II. — MCMLII.

Curante Instituto Romanis Studiis Provehendis.

Jam diu est, cum ad nos usque pervenit hoc lepidum opusculum veri Latinitatis cultus nostris his diebus index idem et testis. Duas enim complectitur prosae Latinae lucubrationes lauro dignas habitas in Certamine II Capitolino, anno proximo elapso, curante Instituto Romanis Studiis Provehendis.

Altera (pp. 11-26) a claro Conrado Müller elaborata est Haec quidem ille, de scriptione referens, praefatur: «Anatoli France scriptoris elegantissimi fabellam quae inscribitur «Le Procureur de Judée» ita expressi ut perpauca mutarem vel adderem vel omitterem et locos auctorum quibus ille videtur usus esse in marginibus paginarum inferioribus indicare».

Altera vero (pp. 29-48) est Pii Ciprotti Pompejanum Somnium. Cui opellae praesunt Acta Certaminis (pp. 5-8), quibus non nulla de nuntio, legibus exituque certaminis, atque ea Latina quoque pulchra scriptione exarata, delibantur.

Latinitatis profecto cultores his legendis egregiis lucubrationibus facile in cognitionem venient, quam sit Latina lingua idonea quae nostram hodiernam mentem et rationem scripta, idque modo vere classico, proferat. Quibus vehementer omnibus hanc opellam, cum legendam tum in Latina etiam scriptio ne imitandam, commendamus.

CRUSIUS, FEDERICO — *Iniciación en la Métrica latina* Versión y adaptación de Angeles Roda. Barcelona, Editorial Bosch, 1951.

Haec translatio et accommodatio Hispanica notissimi libri Federici Crusii de Metrica Latina, maxime nostra-

tibus litterarum Latinarum studiosis jucunda erit. Translatio fidelis atque per lucida et facili profecto modo totam de re metrica disciplinam in alumnorum usum evolvit.

Hoc opus diversa omnino lingua atque nostra scriptum, propriis Hispanicae linguae usibus accomodatum quoque a Dna. Roda est. Haec vero operis capita: Versificatio Hispana et Latina; prosodia Latina; natura versus Latini; metra; prosa rhythmica; metrica accentualis. Quod bibliographia et rerum indice totum complectitur. Multo, procul dubio, alumni nostri hunc librum, cum noverint, aestimabunt.

FEEEMSTER JASHEMSKI — *The Origins and History of the Proconsular and the Praetorian Imperium to 27 B. C.* The University of Chicago Press, 1950, \$5 dollars.

Liber certe rotundus hic legentibus apparet; finis apprime animo conceptus; rei circulus definitus atque in imum constructio; via et ratio «statica»; denique conclusio quae evincitur de serie factorum multiplici eorumque rite probatorum.

Partes duas, ejusdem fere longitudinis, hoc in libro habes. Prima (pp. 1-95) quattuor constat capitibus, in quibus restricte origo et historia imperii proconsularis et praetoriani refertur. Alteram vero complent sexdecim appendices (pp. 100-166), ubi ordinatim traduntur nomenclaturae proconsulum et praetorum atque gubernatorum in diversis Rei publicae provinciis.

Index postremum Latinus et Anglicus et index Graecus (pp. 167-174) opus totum concinnant. Id certe laudandum historiaeque Romanae studiosis valde commendandum est.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

EUG. DROULERS. — *Iconologie. Dictionnaire des attributs, allégories, emblèmes et symboles. Établissements Brepols S. A. Imprimeurs-éditeurs, Turnhout (Belgique).*

Scriptoris quidem finis in hoc pulcro libro conficiendo, fuit in publicum edere Iconologiam facilis notionis. eandem in dictionarii modum aptando attributorum, allegatarum, emblematarum symbolorumque magis in usu litterario. Totam enim hanc notarum summam clarus scriptor Iconologiam seu imaginum scientiam appellandam duxit.

Propositum vero Dni. Droulers hic in dictionario est amplissimum, nam crebros ipse incursus facti per Bibliae provinciam, bibliographiae christianae, vitiorum et virtutum zoologiae, botanicae, cet., hinc inde litteraturae suppellectilem carptim colligendo suoque certe ingenio interpretando. At illius tamen est praecipua cura animo, quae de mythologia Graeca, Latina, Germanica populorumque septentrionalium nota sunt, completi.

Totum dictionarium est undequaque repletum emblematicis, allegoricis symbolisque, quod ipsius scriptoris sententia magni erit profectus cultoribus artium graphicarum et plasticarum, atque una, ad intelligentiam rerum de quibus in libro agitur, conferet.

Dictionario in finem perducto, (pp. 236-273) colliguntur picturae variae variorum auctorum: illustrationes non nullorum versiculorum Psalmorum; representationes allegoricae mensium, sensuum, virtutum, vitiorum, qualitatum animae, scientiarum, artium. Atque aliae prorsus id genus picturae, ad rem in libro actam pertinentes, referuntur.

Fortasse in non nullis documentis, praecipue vero ad res biblicas pertinentibus, haud adeo concordent doctrinae hujus dictionarii cum illis sacrae hodiernae scientiae Archaeologicae. Librum tamen peritis vel iconologicae utilem

aestimamus eisque ideo commendandum

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

P. FLACCARO. — *Italia ante bellum sociale. Instituto Geografico de Agostini Novara.*

Nihil profecto aptius atque utilius quam res non tantum mente et cognitione assequi, sed et oculis spectando contemplari ac perscrutari. Quae igitur alumni de populi Romani finibus atque constitutione, de bellis diversis temporibus habitis, de colonis sociisque Romanorum in libris memoria ediscunt, altius vividiusque eorum animis inhaerebunt, si sub oculis ea delineando subjiciantur. Idque D. P. Flaccaro assecutus est; ipse enim chartam geographicam delineavit eamque variis distinguit coloribus, quibus «ager Romanus ante bellum Punicum secundum, ager Romanus factus post initum bellum Punicum secundum, agri coloniarum Latinorum, agri sociorum populi Romani, coloniae civium Romanorum, coloniae Latinae» dilucide signantur.

In superiore parte minor prostat charta, in qua «Latium antiquum saeculo V a. Ch. n. ineunte» describitur, et in infera «Italiae pars media bello Semnitico tertio ineunte (a. 298 a. Ch. n.)».

Hujusmodi tabulis geographicis scholas Latinitatis ornare oportet, quibus adulescentes et geographicam et historiam et ipsum a Romanis in gentes immissum optimarum artium cultum facilius intellegent atque perdiscent.

JOS. M.^a MIR, C. M. F.

J. LERÍN GABIN. *Resumen de la Historia de la Filosofía. Zaragoza, 1951.*

En brevis «Historiae Philosophiae» summa in usum alumnorum ad pericula in baccalaureato subeunda. Quattuor capitibus omnes praecipui complectuntur philosophi eorumque systemata a primis Graecorum, causarum rerum studiosis, usque ad novissimos philosophiae cultores. Singulari cura Hispani auctores notantur.

F. ALB., C. M. F.

Palaestra Exercitatoria

Schola*

Aula scholae magnum spatium habet. In hac schola sunt viginti mensae et viginti scamna.

Magister in cathedra sedet, discipuli vero super subsellia. Unusquisque in mensa ante se libros, codices, atramentarium et calamum habet. Libri complures paginas continent. Discipuli impense operam dant; alii scriptione convertunt in sermonem Latinum, alii memoriter lectionem pronuntiant, alii magister vocabula dictat, uno verbo, unusquisque suo munere fungitur. Contra, sunt discipuli qui alios insectantur verbis nugatoriis, sunt qui blaterant, sunt qui mentibus sevocati computant muscas, quae per aulam volitant.

Magister, qui omnes invigilat, hos reprehendit, et poenis afficit. Alumni attentè optime respondent; magister diligit atque proemiis eos donat. Garrulos tamen atque ignavos corrigit et punit quia rident discipulos studiosos et aliud agunt dum ille lectionem explicat.

Pone magistrum est abacus cum pannulo et creta. Magister Marium interrogat, qui optime respondet quaesitis.

Barbastii.

B. FORCAÑO, C. M. P.

VI, Cursus alumnus

EPISTOLIA SOLUTA

S., AGUSTIN: *P. Aven.* — Propostulator epistulas illas — quas tu asservas — venerabilis nostri Commentarii conditoris vehementer exspectat.

SALMANTICAE: *D. Fernand.* — Te in adulescentes ad litteras Latinas informandos incumbere, maxime gaudeo. Mandata tua Administratori referam.

SAARBRUEKEN: *Dr. E. O.* — Salutationem tuam excipimus libenter. Nos tibi pro viribus morem gerere nostri. Attamen cum de *Demetrio* accepimus elucubrationem, omnia ad novum fasciculum edendum, parata erant. Quae de *Catone*, in adversariis asservamus, *Demetrium* vero insequenti fasciculo proferemus. PALAESTRAM misimus Argentoratum, accepistine eam?

VALLIBUS: *Jac. Garc.* — Scriptiões Graecas

exspecto; libros, quibus operam detis, ad vos mittendos curabo; paululum operire.

CELSONAE: *M. R.* Vestra placent; sic contendite; propediem scribam.

LEBACHII: *Holz. Rect.* — Omnia tua gratissima Administratori nostro, quae de pecuniae rationibus postulas, scripsi Aux L. fasciculum ad te mittam. Locutionem illam Hispanicam, de qua interrogas: «Tiene V. que cambiar de tren en Zaragoza y luego tendrá correspondencia (enlace de tren) para Madrid», sic ego — paululum tuis immutatis — converterem: «Caesaraugustae permutandus est tibi tractus, ilico tractum conexum (tractus connexionem) nancisceris, qui te Matritum advehet». Tractum igitur *continuativum* in *conexum* seu in *tractus connexionem* verterem. Cetera alias. Valet.

* Inter scriptiões, quae ad Certamen puerorum (cfr. PALAESTRAE LATINAE fasciculum 135, p. 220) allatae sunt, haec praemio donata est. Libros PALAESTRAE LATINAE dono a Moderatore alumnus accipiet.

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph 54. — Tarregae in Ilerda Prov.